

CAPUT II.

De Christo Quoad Ejus Esse.

ARTICULUS I.

De Christo quoad esse divinum.

THESIS XVII.

Christus D. habet naturam divinam, seu est verus Deus.

75. **Nota:** cum ipsa christiana religione haeresis negans Christi Divinitatem exhorta est. Judaei quidem Christum crucifixerunt, quia *se Deum faciebat*. Cerinthiani et Ebionitae in eundem lapsi sunt errorem, et adversus illos Evangelium S. Joannes scripsit, uti tradit in *L. de Script. Eccles.* B. Hieronymus. Deinde eandem Ariani haeresim professi sunt, et in postremis saeculis Sociniani et grex universus Rationalistarum.

Patet thesim nostram esse de fide, et totius christianae fidei fundamentum.

Prob. 1.^o ex Nicaen. Syn. «Credimus in unum Dominum Jesum Christum... Deum de Deo, Deum verum de Deo vero... consubstantialem Patri.»

2.^o Apostolus (1) dicit: *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis*. Et alibi agebat (2): *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*; διὰ τοῦ ἰδίου αἱματος. Joannes quoque explicite et absolute (3) dixit: *Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est, verus Deus et vita aeterna*. In graeco legitur: ἐν τῷ οὐκ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεός, καὶ ζωὴ αἰώνιος.

Videas etiam Dominum Jesum adprobantem Thomae fidem, qui ipsius Divinitatem confessus erat (4): *Dominus meus, et Deus meus*. His enim verbis Christum, Dominum suum et Deum suum esse, protestatus est, ut observavit Concilium Oecumenicum. V. can. 12. Christus autem laudavit fidem hanc: *Quia*

(1) Colos, II, 9.—(2) Act. XX, 28.—(3) I Jo. V, 20.—(4) Jo. XX, 28.

vidisti me, Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt et crediderunt. Sed si creatura esset, ait Cyrillus (1), non fuisset passus audire; *Tu es Deus meus*.»

Denique manifestum habemus etiam testimonium, initio Evang. S. Joannis (2): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*: καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Sensus, nempe, obvius et litteralis est, quod *Verbum erat Deus*.

76. 3.^o Antiqui Prophetæ divinitatem Messiae prænuntiarunt. Isaias (3) ait: *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus*. Loqui autem prophetam de Christo, evidens est ex contextu. *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum*. Quae ad Messiam pertinere ex antea dictis constat (Thes. VIII et X).

Jeremias quoque (4): *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen justum; et regnavit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra... Et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus* (Jehovah) *justus noster*. Baruch propheta (5) clare praedixit, post legem populo Israëlitico traditam, ipsum Deum inter homines versaturum: *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*. Quae conferas cum simili Isaiæ sententia (6). Michaeas, loquens manifeste de Christo (7), ait: *Egressus ejus ad initio, a diebus aeternitatis*: quae Christi generationem aeternam clare exhibent.

77. 4.^o Patres et Concilia Christi divinitatem docuisse post Nicaenam Synodum, non audent haeretici negare: en ex PP. antenicaenis nonnulla selecta testimonia.

S. Ignatius M. (8) ait: «Cur non omnes prudentes sumus, accepta Dei cognitione, qui est Christus Jesus?» Item: «Deus noster J. C. in utero gestatus est a Maria.» Rursum: «Vetus regnum labefactatum est, Deo humanitus manifestato.»

Irenaeus (9): «Qui Deus? De quo dixit: *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit*: hic est Filius.»

In Syn. Antioch. fuit Paulus Samosatenus damnatus, et

(1) Thesauri, I, V, c. 1. — (2) I, I, 14. — (3) LIX, 6, 7. — (4) XXIII, 5, 6. — (5) III, 36-38. — (6) LII, 6. — (7) V, 2. — (8) Ep. ad Eph. cc. 17, 18, 19. — (9) L. III, contra haeres. 10.

Patres in epist. ad eundem dixerunt: «Hunc Filium genitum, uni-
»genitum Filium... Verbum et virtutem Dei, qui est ante saecula,
»non praesentia, sed substantia et hypostasi, Deum et Dei Filium
»in Veteri et Novo Testamento agnoscentes confitemur.»

In primo Arianæ haereseos ortu. Alexander, episc. Alexan-
driae, antiquos Arianis opponebat Patres; et haereticos, «solos dog-
»matum inventores» appellabat (1).

S. Athanasius (2): «Ecce nos, ait, demonstramus vobis,
»nostram sententiam a Patribus ad Patres transiisse; vos autem, o
»novi Judaei, quos Patres... exhibere potestis? Nullum certo pro-
»fertis, omnes a vobis abhorrent, praeter unum diabolum.» Et qui-
dem refert ibi, inter alia, insigne testimonium Dionysii Ro-
mani, quod sic habetur: «Hic (Sabellius) blasphemavit ipsum Fi-
»lium, dicens esse Patrem: illi tres Deos quodammodo praedicant,
»dum Sanctam Unitatem in tres diversas hypostases ad invicem
»omnino separatas dividunt. Neque igitur admirabilis et divina
»unitas in tres divinitates est separanda, neque *factionis* vocabulo
»dignitas ac summa magnitudo Domini est diminuenda: sed cre-
»dendum est in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Je-
»sum ejus Filium, et in Sanctum Spiritum. Quippe *Ego*, inquit, et
»*Pater unum sumus*. Ita divina Trinitas et Sancta Monarchiae prae-
»dicatio servabitur.»

78. Ipse Eusebius (3), etiamsi Arianis saepe consenserit,
fragmentum antiqui auctoris in sua historia exscripsit, quo prisco-
rum Patrum fides exponitur. «Affirmant (haeretici) priscos quidem
»omnes, et ipsos Apostolos, ea, quae ab ipsis nunc dicuntur, et ac-
»cepisse et docuisse: ac praedicationis quidem veritatem esse cus-
»toditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus a
»Petro Romanae urbis episcopus fuit: a Zephyrini autem
»temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse verita-
»tem. Ac fortasse id quod dicunt credibile videretur, nisi eis refra-
»garetur primum quidem divinae Scripturae, deinde fratrum
»quorundam scripta. Victoris aetate antiquiora, quae illi ad-
»versus Gentes et contra sui temporis *haereticos* pro veritatis de-
»fensione scripserunt: Justinum intellige, et Miltiadem,
»et Tatianum, ac Clementem, *aliosque quamplurimos*;
»in quorum omnium libris Christi divinitas adstruitur. Nam Ire-
»naei quidem et Melitonis, et reliquorum scripta, quis est
»qui ignoret, in quibus Christum Deum simul atque hominem
»praedicarunt? Psalmi quoque et cantica fratrum jam pridem a
»fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, divini-

(1) Theodor. l. I, c. 4.—(2) L. De decr. Syn. Nicae.—(3) *Histor. eccles.* l. V, c. 28.

»tatem ei tribuendo. Cum igitur tot ab hinc annis ecclesiastica
»doctrina praedicata sit, qui fieri potest, ut omnes usque ad Vic-
»toris tempora eam, quam isti dicunt, doctrinam promulgave-
»rint? Quomodo eos non pudet hujusmodi calumniam adversus
»Victorem concinnare, cum certo sciant, Theodorum Coria-
»rium, qui defectionis illius Deum abnegantis parens et auctor fuit,
»primusque Christum nudum esse hominem asseruit, per Victo-
»rem a communione Ecclesiae ejectum fuisse? Nam si, ut ajunt,
»Victor eadem sentiebat quae illorum docet impietas, cur Theo-
»dorum opinionis illius auctorem ab Ecclesia removit?»

Haec abunde ostendunt, Patres antenicaenos eandem habuisse
quam Patres Nicaeni definiverunt, fidem.

79. Obj. 1.^o *Pater major me est*, dicit Christus (1): Sed si Deus
foret Christus, non esset major illo Pater; ergo non est Deus.

Resp. Dist. *min.* Si haberet naturam Dei tantum; conc. Si infe-
riorem etiam habeat naturam; nego *min.*

Obj. 2.^o Christus fassus est, non nisi improprie, et more aliorum
hominum, se Deum dicere (2): *Respondit eis Jesus: Non ne scrip-
tum est in Lege vestra: Quia Ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos...
Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis; quia
blasphemias: quia dixi: Filius Dei sum?* Ergo non est verus Deus.

Resp. Nego assertum. Vide supra (Disquis. V, n. 79, pag. 156.)

80. Obj. 3.^o Unitas Christi cum Patre talis est, qualis ea, qua
nos cum illo et ad invicem unum sumus (3); ergo nequit verus es-
se Deus. Resp. Dist. *ant.* Unitas Christi, qua homo est, cum Patre,
talis... Conc. Unitas Christi, qua Deus est... Nego *antec.* vel subd.
Talis est per quamdam analogiam; conc. proprie, nego. Unitas
nostra cum Christo ita comparatur ad unitatem Christi cum Patre,
sicut perfectio nostra ad perfectionem Patris (4).

Obj. 4.^o Patres antenicaeni, in Antiochaeno Concilio, no-
luerunt Christum dici consubstantiali Patri, *ὁμοουσιον*; ergo ante
Nicaen. Conc. non credebatur Christus verus Deus. Resp. dist.
ant. Noluerunt Patres ad sensum Pauli Samosatani, conc. Ad sen-
sum Patrum Nicaenorum, id est, quatenus unam vox illa significat
essentiam Patris et Filii; nego. Nempe Samosatenus ex voce illa,
jam tunc a Patribus usitata, argutiam fingeat ut negaret aeterni-
tatem et divinitatem Filii: putabat ipse, vel fingeat, *ὁμοουσιον* non
aliam significare unitatem substantiae, quam quae invenitur in
distinctis numismatibus de aere cuspis. Ex hoc autem inferebat plu-
res existere in Deo essentias, si Filius sit verus Deus et consubs-
tancialis Patri. Patres autem Antiochaeni Filium *ὁμοουσιον* non di-

(1) Joan. XIV, 28.—(2) Ibid. X, 34-36.—(3) Ibid. XVII, 21.—(4) Matth. V, 48.

endum judicant in eo ficto et falso sensu; an vero posset aliter vox illa adhiberi non inquisiverunt: errorem vero Pauli negantis Christi divinitatem damnarunt, tamquam «mortiferam doctrinam, »Deum negantem malitiam, scelestam haeresim:» et ipsum Paulum appellarunt. «Apostatam a fide, Deo bellum indicentem.»

81. Obj. 5.^o Ex antenicaenis PP. ut Justinus, Irenaeus, Tertullianus, etc. dicunt Filium ministrum Patris, minorem, instrumentum, et alia hujusmodi. Sed haec nequeunt de vero Deo dici. Ergo Filius non est verus Deus.

Resp. Dist. *maj.* Hoc dicunt ut explicent originem Filii a Patre, Conc. Ut indicare velint distinctionem aut differentiam naturarum Nego. Sic Justinus explicat genuinum illarum vocum sensum; «Propheticus sermo, *Pluit Dominus ignem a Domino de coelo*, duos numero esse declarat, alium quidem in terra (Filius); alium autem in coelis, qui et illius in terra apparentis Domini Dominus est, *quatenus Pater et Deus*, qui ei praestat, ut et potens sit et Dominus et Deus.» Identitatem autem essentiae perspicue declarat: «Virtutem illam ex Patre genitam, virtute et voluntate ipsius, non vero per abscissionem, quasi Patris substantia divideretur» (1).

Obj. 6.^o Christus ait ad Patrem (2): *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum*: ergo nequit Deus esse Filius. Resp. nego suppositum et *conseq.* Nam vox illa *solum* non afficit Patrem, sed quod de Patre praedicatur, nempe, *verum Deum*; ut patet ex textu graeco. Sensus ergo est, *unicum esse Deum*, et Patrem esse hunc verum Deum. An vero et aliae personae, praeter Patrem, sint ille *unicus verus Deus*, noluit tunc Christus explicare.

ARTICULUS II.

De Christo quoad esse hominis.

THESIS XVIII.

Christus verus est homo.

82. Nota. Tempore ipso Apostolorum ortum habuit haeresis negantium Christi humanitatem, qui dicti sunt *Δόκται*, Docetae, et putabant apparentem seu phantasticam fuisse Christi carnem. Coepit hunc errorem evulgare Simon Magus, et secuti plures, ut Valentinus, Cerdo, Marcio, etc. inter celebriores autem Manes. Euti-

(1) Dialog. *Contr. Triph.* 128, 129. — (2) Joan. XVII, 3.

ches autem concedebat, Christum hominem fuisse ante unionem, sed postea, aiebat, «a divinitate absorpta fuit humanitas.» Eos omnes damnavit Joannes Evangelista (1): *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carne: hic est seductor et Antichristus.*

Propositio est de fide catholica.

83. Prob. 1.^o ex Chalced. Gen. Syn. «Sequentes SS. Patres... consonanter omnes docemus, Jesum Christum perfectum »in Deitate et eundem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere; consubstantialem Patri, secundum Deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem.»

2.^o Christus D. ait (2): *Quaeritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum.* Et Paul. (3). *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David, secundum carnem.* Praeterea, passim se *Filium hominis* appellat Christus; et supra (Thes. VIII) ostendimus, ex David et ceteris patriarchis eum fuisse natum.

3.^o Athanasius (4): «Potuitne christianis hominibus in dubium revocari, utrumnam Dominus noster ex Maria editus, substantia et natura Dei Filius sit; at secundum carnem ex semine »David et ex carne Sanctae Mariae?»

Tertullianus (5): «Utriusque substantiae census hominem »et Deum exhibuit: hinc natum, inde non natum; hinc carneum, »inde spiritalem; hinc morientem, inde viventem.»

4.^o Christus et sensu et ratione donatus erat: ergo verus homo. *Ant.* patet ex Evangelio. Esuriebat, sitiebat... Item voluntatem rationalem, Patrique subditam ostendebat (6); nec non et ratiocinationem (7).

84. Obj. 1.^o Si Christus esset Deus et homo haberet attributa inter se contraria; adorandus, et non adorandus, etc. Resp. Contraria secundum eandem rationem, negatur; diversam, conc.

Obj. 2.^o Si sint in Christo duae naturae, erit in ipso pluralitas, numerus, divisio. Sed numerum rejiciebant antiqui christiani; divisionem negat Syn. Oecum. V. Ergo unam tantum habebat naturam.

Resp. Dist. *maj.* Erit numerus et divisio simpliciter, nego: secundum quid, Subd. Quatenus numerus et divisio involvunt distinctionem sine confusione, conc: quatenus praesupponunt separationem absque unitate substantiali; nego.

(1) Ep. 2.^a 7. — (2) Jo VIII, 40. — (3) Rom. I, 3. — (4) Ep. ad Epict. — (5) L. de *Carne Christi*, c. 5. — (6) Jo. XII, 49, 50. — (7) Matth. XVII, 25.

THESIS XIX.

Natura humana Christi fuit integra, id est, carneo corpore et anima rationali constans.

85. **Nota:** thesis est de fide: prima pars, de vero corpore, contra Manichaeos et alios; secunda autem adversus aliquos Arianos et Apollinaristas.

1.° Oecumen. V, seu Constant. II, can. 4. «Qui non »confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali secundum compositionem factam... Anath. sit.» Item Profes. fidei ab Innocent, III. Waldensibus praescripta: «Corde credimus, fide intelligimus... quod Filius Dei... veram carnem habens et animam rationalem... natus ex Virgine M. vera »carnis nativitate.»

2.° Dominus ait (1): *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ergo et animam habebat, et corpus; aliter mortalis non fuisset. Item dixit (2): *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Rursus (3): *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

86. 3.° Ex PP. testes possunt adhiberi, Conc. Hispaniarum et Lusitaniae, jussu Leonis I habiti (447), ad normam Ep. Dogmaticae ejusdem *adver. Priscill.*^{tas} «Credimus... nec imaginarium corpus aut phantasticum in eo fuisse, sed »solidum atque verum... Si quis dixerit vel crediderit, carnem tantum sine anima a Filio Dei fuisse susceptam, anath. sit.»

Athanasius cum aliis PP. inter quos Eusebius Vercell. cum quosdam interrogassent de fide Trinitatis et Incarnationis, ait Athanasius: «Hoc item profitebantur, non corpus inanimatum »Salvatore assumpsisse.» Eusebius autem suscribens dixit: «In eandem quoque fidem conveni... Dei Filium hominem factum »esse, et omnia praeter peccatum assumpsisse, cujusmodi erat antiquus noster homo.»

S. Augustinus (4): «Totum redemit, qui totum creavit; totum suscepit, totum liberavit Verbum. Ibi mens hominis et intellectus; ibi anima vivificans carnem; ibi caro vera et integra, peccatum solum non ibi.»

4.° Rationem theologiam educes ex thesi VIII. Non enim posset esse verus homo, si aut anima aut caro deficeret Christo.

(1) Matth. XXVI, 38.—(2) Joan. VI, 54.—(3) Luc. XXIV, 39.—(4) Sermo 237.

87. **Coroll.** Anima et corpus Christi erant invicem substantialiter unita. Patet ex verbis Conc. Oecum. V; ex doctrina laudata Athanasii et Eusebii; nec non ratione theol. adjecta. Insuper, Viennense Conc. sub Clemente V, definivit: «Aperte cum Sancta Matre Ecclesia »confitemur, unigenitum Dei Filium... partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus, in se verus Deus existens, fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam »informantem assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad »unitatem suae hypostasis et personae.»

Confirm. Nisi forent in Christo corpus et anima ad invicem unita, et quidem substantialiter, essent tres naturae in Christo: atqui definivit Agatho pp. et Conc. V. «In duabus naturis... indivise cognoscendum, salvata proprietate utriusque naturae.» Ergo substantialis est unio.

88. Obj. 1.° *Caro non prodest quidquam* (1). Ergo non est assumpta a Christo. Resp. Dist. seu explico: caro, spiritali modo comesta, non prodest quidquam; nego: caro, carnali modo sumpta, non prodest quidquam, concedo, vel subd.: non prodest ad vivificandum, conc: ut vivificetur, nego.

Obj. 2.° Quidquid anima in Christo efficere deberet, a Verbo divino perfici poterat: ergo inutiliter fuisset assumpta.

Resp. Dist. *ant.* Quidquid efficere deberet pure efficienter; conc: quidquid efficere deberet formaliter; nego. Vel permissio *Antec.*, negatur *conseq.*; non enim ad efficiendum tantum, sed et ad patientium assumpsit Verbum divinum animam.

ARTICULUS III.

De Christo quoad unitatem essendi

THESIS XX.

In Christo non est facta unio secundum naturam; id est, dici nequit unam esse naturam Christi, sed duas dicere oportet.

89. **Nota** I.° Thesis est de fide, adversus Eutichetem, Dioscorum Patriarcham Constant.; etc., etc. qui dicebant, *ex duabus naturis*, non vero *in duabus naturis* Christum esse. Natura enim humana, aiebant, ut gutta mellis in mari, conversa fuit in divinitatem. Alii

(1) Jo. VI, 64.

vero è contra, ut Apollinaris, divinitatem, ajebant, vel particulam ejus, in humanitatem fuisse conversam.

Nota II.º Non negamus sane unionem naturarum; revera enim unitae sunt cum terminum habeant communem. «In duabus naturis... *indivise* cognoscendum, numquam extincta differentia harum naturarum propter *unionem*» (1).

90. Prob. 1.º Ex Oecum. Conc. (2): «Si quis ex duabus naturis, Deitate et Humanitate, confitens unionem factam fuisse... unam naturam sive substantiam Deitatis et Carnis Christi introducere conatur, talis anath. sit... Non confusionem quamdam ad invicem naturarum factam fuisse dicimus, magis autem, manente utraque hoc quod est, unitum esse carni intelligimus Verbum.»

2.º Natura Dei nequit esse una et eadem cum natura hominis. Sed Christus est verus Deus et verus homo (Thes. XVII et XVIII): ergo duas et distinctas habet naturas. Quo argumento usa est Syn. V. (ibid.) «Propter quod et unus est Christus, idem Deus et homo, consubstantialis Patri secundum Deitatem, nobis item secundum humanitatem.»

3.º Ratione (3). Si unio facta esset in natura, vel ita, ut manerent natura humana ac divina tamquam aliquid perfectum in suo esse; vel ita, ut transmutaretur eorum esse perfectum; vel ita, ut ex duabus imperfectis exurgeret una natura perfecta. Sed neutrum dici potest. Non 1.º; nam in ea hypotesi non aufertur dualitas naturarum, quod in praesenti intendimus. Non 2.º; quia nec natura divina est transmutabilis in aliam, cum sit immutabilis; nec alia in divinam, cum haec sit a se et ingenerabilis. Non 3.º; quia natura divina et humana sunt perfectum quid in sua ratione.

91. Obj. 1.º In mixtione perfectorum, puta, elementorum, fit unio in natura, licet maneant naturae singulorum; ergo licet maneant natura humana et divina, potest unio esse in natura, seu una nova natura in Christo dari. *Ant.* prob. Quod fiat unio in natura patet; nam, ut ait D. Thomas (ibid.), «quod est commixtum nulli miscibilium est idem specie:» ergo miscibilia uniuntur in una natura, seu specie. Quod autem maneat natura illorum, patet etiam ex eodem D. Thoma; nam ideo «Ex his quae plurimum distant nequit fieri commixtio, quia solvitur species unius eorum:» ergo requiritur ut in commixto maneat species seu natura miscibilium.

Resp. dist. *antec.* Manent naturae miscibilium, ita ut commixtum sit unum natura cum illis; negatur: aliter, subd. Manent naturae miscibilium, ita ut non transmutentur; nego: ita ut non

(1) Syn. VI, in *Definit. fidei*.—(2) Syn. V, can. 8. (3) S. Thomas, p. 3, q. 2, a. 1.

omnino solvantur; conc. Deinde, nego *consequentiam* et *consequens*.

Obj. 2.º S. Cyrillus, qui inter SS. PP. in hoc Incarnationis mysterio defendendo princeps visus est, ajebat (1): «Unum asserimus Filium, ut et SS. Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam.» ergo a) unio in natura, non vero in Persona, constituta fuit; b) neque duplex natura post unionem, sed una tantum existit.

Resp. Concedo textum laudatum Cyrilli, at utramque nego *consequentiam*. Nam primam manifeste excludit ipse Cyrillus dicens: «unam naturam Dei Verbi incarnatam.» Cum enim eadem sit trium Personarum natura, clare indicat non nisi mediante Verbo factam unionem, seu in Persona: secundam pariter ipse rejicit dicens; «naturam Verbi incarnatam.» Hinc calumniam ipse S. Cyrillus repulit (2): «Si minime adjunxissemus *incarnatam*, esset fortassis illorum oratio non inepta, dum interrogare se »simulant: ubinam est in humanitate perfectio?»

Obj. 3.º «Affirmamus, ait ipse Cyrillus, dum ea, quibus »constat unus et solus Filius ac Dominus J. C., cogitando versamus, duas unitas esse naturas; post unionem vero, tamquam subblata jam sectione in duo, unam esse credimus Filii naturam, ut »unius, sed hominis facti et incarnati (3).» Ergo post unionem duas Cyrillus rejicit naturas.

Resp. Dist. *consequens*. Duas S. Cyrillus naturas rejicit, quatenus dualitas importat divisionem naturarum; conc. *consequentiam*. Rejicit duas naturas, secundum perfectionem et distinctionem earundem; nego. Cum enim pluralitas, stricte dicta, teste S. Thoma (4), consequatur divisionem; et Nestorius contendere, Naturarum unionem in Christo moralem tantum esse, non vero personalem et physicam; hinc S. Cyrillus, Nestorii excludens errorem, nolebat, duas post unionem dici naturas; quo, nempe, tueretur unionem personalem, et rejiceret divisionem, non vero distinctionem et perfectionem utriusque naturae.

THESIS XXI.

In Christo facta est unio secundum personam, id est, una est tantum persona in Christo.

92. **Nota 1.º** Haec doctrina est de fide et adversus Nestorium definita.

II.º Persona est rationalis naturae individua subsistentia, seu

(1) Ep. I ad Successum.—(2) Ep. 2 ad Succes.—(3) Ep. ad Acacium.—(4) P. I, q. 30, a 3.